QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ Decembris.

M. HENRICO MAHIEU, Doctore Medico, Dotariæ Reginæ Polonorum Medico Primario, Præside.

An Diaphoretica Remedia, Medicinæ vis & magna potentia?

I.

UT stet, valeat, vigeat humanum corpus; aëris, alimenti, somni beneficio potissimum indiget. Sed sicut horum operâ sustentatur, ita vitio & omni contrarietate labefactatur: A cervice suâ depulsurus homo quidquid ab his damni sibi potest adportari, Medicinæ manus auxiliatrices implorare tenetur. Ut ars præstans afflicto subveniat homini, certis innixa regulis, non unum remedii genus adhibet. Medicaminum licet ac ciborum par necessitas; quod ut impleri, sic depleri corpus aliquandò postulat; at tamen natura medicaminum evidenter non declaratur. Res hæc ardua, scitu difficilis, cur hoc vel istud mixtum corpora nostra mutet, cur absque ponderis imminutione, vel substantiæ jacturâ manifestâ vitrum antimonii vino vim emeticam impertiatur: Tam primis, quam secundis qualitatibus Peripateticorum illud ænigma non solvitur. Quot sunt stirpes caloris gradu Rosæ nullatenùs inferiores, à quibus, ut à Rosâ fieri amat, non turbatur alvus? centaurium minus, absinthium, amara, sicuti Rheum; Non eumdem ac Rheum sortiuntur effectum. Nix, calx, Saccharum, candida: Quam dispar illorum conditio! Qui rerum semina statuunt atomos, intricata multa, gloriantur à se feliciter extricari. Dicant ii cujus definitæ molis ac figuræ, cujus determinati sitûs ac ordinis particulæ colocynthidis, quibus alvus ἀδεστέρως subducitur. Anatomici Professores gladio, Chymici Menstruis & igne mixta dividunt. Si quod rei sit ingenuè profiteri volueris; his artibus tam celebribus, mixta superficie tenùs secari fateberis. Hinc tot adhuc partes Animalium ignotæ; Hinc adhuc sub judice lis, an ex verme vel ovo, an ex seminibus parentum procreemur? Menstruis, extrahuntur salia; quantum anceps natura salium! quanta varietas! quanta mutabilitas! Igne vel humidæ partes Mixtorum eliciuntur, vel mixto comburuntur. Primum opus distillatio est, alterum est calcinatio. Perpende quæ mutatio distillatione mixtis accidat. Ignis impetu mixta disrumpuntur, confusæ partes illorum à se se divelluntur, abripiuntur, ut exortâ tempestate partes arborum flexiles simul implicantur, confusæ ligantur, aliis partim ruptis, partim etiam illæsis. Antimonium in cinerem redigitur, ut à nocivo sulphure repurgetur; paulò post idem sulphur resurgit. Multiplex classis remediorum, dissimilis virtus, effectus diversi. Quod nam ex iis Medicinæ vis & magna potentia meritò prædicari debeat, si ex me scire aveas; paucis dicam, hoc ipsum met esse, quod plurium & graviorum affectuum causas efficaciùs demolitur, certiùs amovet.

II.

SICUT inter varia variarum artium instrumenta, quædam plus aut minùs valent ad operis complementum: sic in Medicinâ majoris aut minoris efficaciæ remedia sunt, ad curationis opus absolvendum. Opium valdè commendatur, quod spiritus effrænes frænat, reprimit humorum æstuantium seditiones, expetitum diu somnum conciliat. Mira præstat Peruvianus cortex, quod exultantia febrium intermittentium fermenta domat. Brasiliensis radicis virtus omni laude major, quæ dysentericos mitigat cruciatus. Hæc præsidia τὰς θεῶν χεῖρας jure vocare potes, ob beneficia quæ mortalibus conferunt. Quoniam tamen hæc certis tantum usibus peculiariter addicta, primum utilitatis inter remedia locum non tenent. Malleus fabri ferrarii præcipuum est instrumentum, quod artifex ab eo semper ubique juvetur. Quid ni pariter aliquod sit in Medicinâ remedium, quod usu constanti, virtutibus eximiis maximè celebretur? Laus remediorum ex effectis. Quæ plus

profunt, quæ plura possunt, ea palmam teferant oportet. Nulla potest obtineri salus, quin causa morbi fugiat venis. Causa morborum vel singularis, vel communis. Quamlibet singularem definire, vix possumus. Vulgò sic latet, ut θεῖόν τι morbis inesse, testetur Hippocrates. An divinum istud, Hippocrati ignotum, principiis chymicis in lucem num eductum sit, problema est Doctorum examine dignissimum, cuivis parti faveas, tibi adversabimur. Communem si quæras causam nil te moror, hæc obstructio est. Quæcumque nos angit perturbatio, miser illius fœtus. Dum viæ bili non patent ad receptaculum, ecce flavus nascitur icterus. Niger erit, si januâ lienis occlusâ, pars sanguinis fusca non expurgatur & fertur ad hepar intacta & illibata. Dum aut externæ, aut internæ pleuræ vasa crassus & tenax sanguis liberè non præterfluit: hinc angustiæ pectoris, quas pleuritis excipit. Si polypus in ipso limine cordis, si in pulmonibus vomica succrescat, præcipitis fati, periculum est. Si nervosus latex, qui suapte naturâ tam subtilis, ut sensum fugiat, in nervo optico concrescat, in æternam noctem lumina clauduntur. Idem esto judicium de cæteris affectibus. Ad nocendum & necandum promptiores cogita, non alio de fonte manant. Ipsa met venena seu sanguinem solvere, seu constringere dixeris, similiter occidunt. Ex presso lacte serum licet luxuriet, durum superest semper coagulum. Ex simili sanguinis relicto coagulo, obices pertinacissimi proferuntur. Quapropter ascites, quamvis molem sanguineam penitùs liquer, non solum ab hepatis & lienis obstructione fit, teste Hippocrate &c. Morbi non curantur, nisi sublatâ causâ. Quantum igitur in se est, tantum eniti debent Medici, sint expedita vasa, quò sanguis eat, redeat commodiùs. Ut humanæ salutis vindices finem hunc assequantur, hoc opus, hic labor. Quandoque partibus gluten, ut parieti clavus inhæret. Sic fæx indurescit, ut æream duritiem acquirat. Quotiès à non nullis russi, solida, sicut lapillus, materies redditur? quot apud Arthriticos tophi, lapidum æmuli videntur? Prætereà retentum virus in recessibus tam abditis delitescit; ut vis remediorum efficax vix ac ne vix quidem eò pertineat. Quapropter gutta serena penetrabilis Mercurii vim eludit. Paralysis, nervorum flagellum, vix tollitur. Arthriticus fomes ex putri sale medullæ natus, non extrahitur. Remedium, quod attenuat, id quod crassum; quod viscidum incidit; quod movet, id quod velut immobile; quod in distantibus partibus abditum, attingit; hoc inter remedia generosissimum est. Sicut pulvis nitro-sulphureus accensus vim agentium fortissimorum æquat, vel etiam superat, qui marpesiam cautem eruit, diruit aheneas turres: Sic illud ex omnibus nobilissimum haberi debet præsidium, quod plures & maximè rebelles affectionum causas pessumdat, eliminat.

III.

ALIMENTORUM & Remediorum oppositos effectus experimur. Alimenta mollitie partium, palato sapiunt, dulci fragrantiâ naribus sunt admodùm accepta. Suis, vel ascititiis fermentis, cum iisdem nostris ventriculi fermentis benè conveniunt. Balsamicis, quas habent, partibus, sanguinis molem amplificant, sicque substantiam deperditam reparant. Cum istis effectis, effecta remediorum si conferantur, obscura & abstrusa remediorum natura potest retegi, potest dilucidari. Quoniam in corporibus nostris crassa, liquida, & tenuia congeruntur excrementa; quæ necessariò sunt vacuanda; quum naturæ molestias creant: triplex indè remediorum genus celeberrimum, scilicet Catharticorum, Diureticorum, Diaphoreticorum. Hæc tria κατ' συμφέροντα χρεία quod inutile, quod infensum vehunt. Cathartica & diuretica, communem habent motum ex peripheriâ ad centrum. Diaphoretica singulari ac proprio motu, ex centro ad peripheriam quos concitant humores, deportant. Purgantia vel ἄνω, vel κάτω dejiciunt. Emeticorum à cæteris in eo discrimen; quod eorum partes asperiores, quod eorum fermenta stomachi fermentis minùs amica. Hinc stomachi fibras, nervos, membranas malè omnino afficiunt, trahunt & retrahunt, in spasmodicos motus agunt, quibus ventriculus vexatus subvertitur. Purgantia minùs feriunt stomachum, innocentiùs præterfluunt, excurrunt ad intestina citiùs. Ibi sive partibus mucronatis, sivè igneis, sivè salibus, quibus donata sunt acribus, dum tunicis intestinorum affiguntur, quasi calcaribus additis, tendines agitant, sicque peristalticum motum augent, instar saponis, pannorum sordes eluentis, quidquid turpe, cænosum abradunt, everrunt, avellunt. Nec satis, hæc eadem lacteas venas pervadunt; hinc quod ex chylo lac, vim purgantium retinet. Dum intestina, Mezenterium, Epiploon, iisque adjunctæ partes succutiuntur; concussione, partium ad partes, allisione, & ipsâ compressione, sicut ex uvis torculari subjectis liquor: sic ex glandulis & vasorum extremis humor exprimitur. Ne remerè credas, quod quivis humor medicamentis expellatur. Panni particulas non aufert sapo, putredinem solum abripit. Per quodvis cribrum, omne genus grani minimè trajicitur. Per chartam bibulam purpureæ vini rubri partes non omnes omninò effluunt. Quod si major hujus aut illius succi quantitas epoto medicamento rejicitur; Id à copiâ regurgitantis humoris, id ab affectione potorum est. Diuretica nec ventriculo nec intestinis nocent, licet salibus acutis imprægnata vim suam in arteriis emulgentibus, in ipsis Renibus exerant. Ensis vaginâ conclusus à fulmine frangitur funditurve, illæsâ vaginâ. Communis quædam est officii ratio Diureticorum & Diaphoreticorum. Licet hæc ambo simul conveniant, texturâ partium & aliis discrepant. In Diaphoreticis tenuitas, mobilitas, vis penetrandi major deprehendi-

tur. Hæc vis diaphoreticorum æmula lucis, quàm latè diffunditur, quàm celeriter expanditur! ut hæc à sole decisa & decidua materies, vere novo glebas inertes resolvit, torpentia stirpium semina suscitat, œstrum in animalibus venereum extinctum accendit, indurata gelu flumina liquefacit; sic diaphoretica segnes spiritus, lentum ac pigrum sanguinem agitant, occlusa patefaciunt vasa, concretos fundunt humores, impedimenta quævis in partibus congesta removent. Quibus velut Herculeo clavo monstra, causæ morborum infensissimorum penitùs atteruntur, penitùs debellantur.

IV.

OS nobis unicum, per quod alimenta ventriculum subeunt. Immensus est pororum numerus, per quos reliquiæ ciborum deturbantur. Tot mutationes alimentis eveniunt, priusquam alendis partibus uniantur: ut ostia ampla, nec satis opportuna videantur, ad exclusionem partium heterogenearum, ex coctionibus superstitum. Licèt hæ partes inutiles, omni fibrarum & musculorum motu perenniter depellantur: semper aliquæ fœces restitant in vasis. Cum certo loco cumulata disiunguntur à reliquis humoribus recrementa, neque communi cum iis motu feruntur: Indè quantæ perturbationes, quantæ calamitates? Quò major aut minor est vasorum occlusio, eò major aut minor in hac referandâ labor: morbus indè gravior aut levior, longior aut brevior. Hinc tertiana febris simplex brevi finitur. Contrà vix anni decursu quartana judicatur. Pertinacia, diuturnitas, gravitasque morborum præ cæteris à situ partis proficiscitur, in quo fomes sedem posuit. In locis à publicâ viâ distantibus tenaciores infarctus colliguntur. Ii nisi tollantur, nulla spes salutis. Secta vena corpus liberat à nimio pondere succorum. Id quidem verum. Nec minùs verum, quod ex sectâ venâ intemperantiùs, spiritus exhauriuntur, à quibus omnis sensus & motus. Cum spiritus numero pauci, viribus carent, impares sunt fortioribus repagulis dejiciendis. Si vinum annosum, si effætum, tartari vix fit separatio. Levia cathartica, leviter affectis tantum utilia. Centiès repetita quid prosunt, in morbis chronicis aut perduellibus? horum virtus ad remotas partes non pervenit. Has saltem non succutit, ut par est ad explosionem sarcinæ. Sit quædam æqualitas oportet inter agens & patiens. Emetica quantum stomacho tumultùs adportant; Mochlica quantam intestinis molestiam facescunt; sæpè sæpiùs cum maximo patientis dispendio? Cantharidibus aut sanguisugis æque crudelia, ventriculum, intestina corrodunt, convellunt, terebrant. Ex inflictis vulneribus nisi protinùs æger animam efflaverit, posteà morbus, quam antè ferocior exsurget, quod asthmaticorum, quod epilepticorum exemplis comprobatur. Illi mochlicis, aut emeticis ad animi deliquium repurgati, paulò post iisdem, quam antè malis tentantur. Misera sors medentium, nisi præ manibus habuerint salutifera præsidia, quibus tam præcipites, quam longiores affectus demant, quibus tam in primâ, quam secundâ, vel in ipsâ tertiâ regione corporis hospitantes morborum fomites moveant, attenuent ac denique propulsent! hæc tam proficua medicamina sperant multi, ex aquis habenda, mercurio, sale, sulphure, bitumine turgentibus. Sed ii turpiter sæpè hallucinantur. Horum mineralium scotiæ, non innoxiè sumuntur. Tantum abest ut aliquandò obstructiones aperiant, quin potius novas faciant. Ex aquarum largiori potu cruditas multa, ex cruditate obstructio. Qui pauperculum senem, spiritibus defectum, per plures dies hoc potu mineralium aquarum fatigat, hujus morientem calorem suffocat, extinguit. Quæ ex mercurio nobis præstò sunt remedia, multùm valent, longiùs deportantur, abundè liquant, id concedo: sed maligna mercurii qualitas à nullo fuit hactenùs emendata. Si, pro indigentiâ, præmiseris universalia remedia, diætæ modum æger tenuerit, ex Diaphoreticis omne bonum consecuturus es. Eorum abundantia locuples à naturâ & ab arte suppeditatur. Quot sunt stirpes ut Angelica? Quot salia fixa, ut antimonium diaphoreticum, ut bezoardica? Quot pulveres, ut qui ex viperis. Quot salia subtilitate partium spectabilia? ut quod ex cornu cervi, quod ex humano sanguine? quibus solis tempore & loco, vel cum aliis adminiculis diaphoresis excitatur. Horum usurpatione prudenti doceberis, ut hæc facilè sumantur, sine seditione corpus subingrediantur, mixta chylo, sanguini lentè vel celeriter, paulatim vel affatim: quidquid in vasis sanguine vel lymphâ plenis, quin etiam in tubulis, in viis nervorum inest viscidi, glutinosi, separatum, liquefactum ab iis, tum per cæcos ductus, tum per excernentia vasa victore conatu foras dimittatur. Qui statim à deterso sudore nitor in oculis emicat roseus genas color vestit, blandus in cute calor apparet, Rythmus in pulsu benè compositus notatur, quos sitis, fames, ad somnum propensio subsequuntur; hæc omnia significant, vias expeditas, liberos à vinculis spiritus, à lentore sanguinem mundatum: Quibus æger ad spem vitæ melioris erigitur.

V.

ERRANT quicumque ventrem τὸν βίου χορηγὸν singulatiter vocant. Errant & Medici qui tantum id satagunt; fotioli sint qui se, salutemque suam illorum curæ committunt. Ex superstite chylo, cruoris abundantiis, esto plures in imo ventre nascantur obstructiones, quid inde? facilius ibi, quam alibi, propter loci declivitatem, patentiores meatus, præsentiam remediorum magis actuosam perrumpentur. Non minor excernendorum copia per cutis spiracula, quam per anum & vesicam

fecedit. Id conſtat experimentis. Hinc ſexcentis glandulis aſperſa cutis, quarum non aliud munus, quam ſeri, lymphæ ſeparatio & excluſio. Quibus liquet, quod ſumma neceſſitas urgeat, ſeri, lymphæ vacuandorum. Salſa lympha mordaxque, ſerum glutinoſum, quod non coctum ab Hippocrate nuncupatur, aut quovis modo volueris degener, quot, quam ſæva pariant mala; dicent qui lippitudine, ſcabie vexantur; Dicent, ſi majora petas exempla, qui rheumatiſmo diu noctuque cruciantur, ſchirro, cancro & aliis tumoribus corripiuntur: Verbo dicam, ut multa paucis complectar, qui lue venereâ inficiuntur. Sed his quam difficulter medemur! ὑδὰρ ἀπέπτα, malignæ febris cauſam arguit Medicinæ princeps. Illa non pluriès educto ſanguine, non repetitis emeticis aut mochlicis curatur. Quæ tunc vitium adeſt dejectio, ſumma dejectio; magnam non fert vacuationem. Tunc diaphoreticis pugnandum eſt. Hæc naufrago ſola ſalutis anchora. Meliorem hanc, quam ſequamur, viam nobis conſultior indigitat natura, quæ purpureis maculis hinc & indè prodeuntibus, aut ipsâ ponè aures parotide ſubortâ, latens virus forâs evocat. Præſentaneam credas ferociorum ægritudinum Medicinam in diaphoreticis poſitam. Quid aſthmate, quid convulſione, vel uterinâ ſuffocatione terribilius? Ipſamet ſyncope mortis imago eſt. Crudeles illæ affectiones, quibus tutioribus armis, quam diaphoreticis, aut quadam iiſdem virtute ſuccenturiatis, ſedantur? à morbo nullo clades major mortalibus infertur, quam à peſte. Bellua furens urbes vaſtat, provincias, regna brevi depopulatur. Si miſſione ſanguinis, ſi purgantibus majoris aut minoris famæ belluam incenſam ſedare ſtudueris, ſævit atrociùs in gentis humanæ perniciem. Si reprimi poteſt illius rabies, diaphoreticis reprimetur. Quiſquis morborum hiſtorias nobis ab Hippocrate relictas legit, ſcit, oborto repente ſudore ex orci faucibus ereptos. Qui dudum ægrotant urbis mænibus concluſi nec porrò ſublevantur julapiis, apozematis ad nauſeam ebibitis; cur, ubi primùm in agris aëre liberiori gaudent, ſanantur? Niſi quod tepeſcentis aëris clementiâ fluxilior illorum ſanguis reddatur, limus imis collectus viſceribus aëris ejuſdem agilitate, ſubtilitate fundatur, reſeratis poris excludatur. Quod juvamen nec à ſennâ, nec rheo, non ignavâ caſſiâ potuerant obtinere. Non diſſimile contingit iis, qui febre quartanâ detinentur, inclinante vere ſolent ii ab affectu reſpirare. Quare? quod compacta & altè partibus impacta fermenta tunc temporis mirè ſolvantur, tenues in auras abeant. An erit qui neget quidquid rarum & inſolens in puberibus obſervatur, opus & miraculum eſſe ſpirituum, clauſtra mucilaginis rumpentium? Demùm ſi mœremus, ægrotamus, ſi lætamur, benè valemus, hâc unâ dè causâ, quod mœrore premitur ſanguis, lætitiâ laxatur, explicatur.

Ergò Diaphoretica Remedia, Medicinæ vis & magna potentia.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Claudius Berger, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Philippus Bernardus de Bordegaraye.
M. Jacobus Simon Gilles de la Riviere.
M. Ludovicus Lemery, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Petrus le Tonnellier.
M. Jacobus Minot, Sereniſſimi Ducis Borbonii Medicus ordinarius.
M. Henricus Mahieu, Dotariæ Reginæ Polonorum, Primarius Med. Præſes.
M. Claudius Guerin, Rei Herbariæ Profeſſor.
M. Ludovicus Morin.

Proponebat Pariſiis JOANNES DEPINEY PESCHARD, Cenomanenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1701.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.